

medij ratio. & spes superfuit, quam Lutherus quoq;
animo leto approbavit, videlicet, ut de Concilio
indicendo, & convocando ageretur. Omissis
igitur nunc ijs, quae quasi disceptationib; & veli-
tationibus, utrinq; mixtis, partim pro cursu illo
doctrinae salutaris promovendo & modeste, &
acriter à nostris, ut rerum necessitas postulabat,
& Spiritus sanctus ipse hoc negotium admini-
strabat, partim ad cursum eundem remorandum
& cohibendum ab aduersarijs, agebantur, ad
praecipuum caput, de quo dicendum nobis est, tan-
dem veniemus. Anno 1529. cum Caesar 5. No-
vembris Bononiam venisset ad coronationem,
paulo post, omnium Ordinum conventum ad 3.
Aprilis anni sequentis, Augusta Vindelicorum
indixit, & interea cum Clemente Pontifice de
Concilio egit, qui statim Casarem monuit, non am-
plius ullis disputationibus opus esse, sed vi eradi-
candum esse, quidquid Romana cathedra aduer-
setur, & executionem requiri. Huic Clementis
inclementi sermoni Mercurinus Caroli Cancellari-
us respondit, alia ratione opus esse, & hanc vi-
am exequendi Pontificis voluntatem circum-
stantijs & rebus, quae in Germania agantur, mi-
nime competere. Clemens toruo eum vultu in-
ruitus, cur mihi, inquit, obloqui audes, Mercu-
rine? Is quidquid, inquit, affero, de sententia &
iussu Caesaris affero, cuius consilium cum mihi
placeat, suasor sum, ut maiestas eius in illo perma-
neat.

neat.